



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

15 Vtrum Prælati possit committere curam Ecclesiæ suæ consanguineo
idoneo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

interpretari debemus. Vnde & Deut. 27. dicitur. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, venies ad sacerdotes, & ad iudicem, quaresequ; ab eis, & facies quodcumque dixerint: sed si ambiguum oriatur post concordem iudicium determinationem magis standum est sententiæ iudicium duplici ratione. Primo quidem, quia iudices sollicitius discutientes negotium, plenus possunt percipere veritatem, etiam si sint minus periti, quam alij qui perfunctorie constituuntur, & extraordinarie. Secundo, quia hoc esset in magnum nocentum utilitatis communis status hominum, si sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententiæ calumniam ingerere, quia sic litigia essent interminabilia: & ideo in tali casu magis est standum sententiæ iudicium, nisi forte sit per appellationem suspensa.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS XV.

Virum prælatus possit committere curam ecclesie suo consanguineo idoneo.

22. q. 63. ar. 2. ad 2. 3. & ar. & ad 3. & q. 185. ar. 3.

CIRCA quantum sic proceditur. Videtur quod prælatus ecclesie non possit ecclesie curam committere suo consanguineo quamvis idoneo, postposito meliori. Pater enim suæ filia quærit sponsum quam magis potest idoneum, & sponsus suæ sponsæ quærit fidelissimum custodem pro posse: sed maior prælatus ad ecclesiam sibi subiectam comparatur, vel sicut pater ad filiam, vel sicut sponsus ad sponsam. ergo debet ei de persona idonea providere, quantum ad melius potest.

¶ 2 Prælatus Ioannes euangelista maxime fuit idoneus, & tamen quia consanguineus Christi erat secundum carnem, prætulit ei Petrum in regimine ecclesie. ergo etiam prælatus si habeat consanguineum æque idoneum, non debet ei providere in ecclesia magis, quam alij æque idoneo. multo ergo minus si sit minus idoneus.

SED CONTRA est, quod secundum ordinem rectum charitatis homo plus debet diligere sibi magis coniunctos: sed his quos magis ex charitate diligimus, etiam magis debemus providere, vnde eorum meritum crescat. Cui ergo ex bona dispensatione ecclesie crescat meritum bene administrantis, videtur quod prælatus magis debeat suis, quam extraneis providere etiam si sint minus idonei.

RESPON. Dicendum, quod aliter est dicendum de consanguineo prælati æque idoneo, & aliter de minus idoneo. Si enim sit æque idoneus, potest prælati suum consanguineum præferre, nisi forte ex hoc scandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, ut probabiliter præsumi possit, quod alij prælati hoc exemplo inducantur ad dandum suis consanguineis etiam minus dignis: & hoc ideo, quia ex quo nihil deperit utilitati ecclesie cum æque idoneo provideretur, licet circa huiusmodi provisionem etiam amor naturali satisfacere, qui non est contrarius charitati, sed magis charitate informat. & hoc significatur Gen. 48. Vbi Pharaon dixit ad Ioseph de fratribus suis. Si nostri in eis viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum. Si vero sit minus idoneus consanguineus prælati, non debet eum præferre ad curam ecclesie postposito meliori duplici ratione. Primo quidem, quia hoc videtur esse contra fidelitatem, quam in bono dispensatore dominus requirit. Non enim faceret fideliter negotium alicuius domini, qui posset rem eius

F meliorare, si hoc prætermitteret ut suis consanguineis satisfaceret. Secundo, quia hoc videtur ad personarum acceptionem pertinere, quæ consistit in hoc quod aliquis accipit pro causa conditionem personæ quæ non facit ad negotium, sicut si aliquis daret sententiam pro aliquo, quia dives est, & non quia iustitiam habet, quæ est conditio faciens ad negotium. Esse autem consanguineum, non est aliqua conditio pertinet ad curam ecclesie, quæ non obtinetur iure sanguinis, sed diuino munere. Esset autem conditio faciens ad negotium circa dispensationem patrimonialium bonorum: vnde si episcopus de patrimonialibus bonis magis provideat suo consanguineo minus idoneo, non est acceptio personarum: sed si ratione consanguinitatis ei provideat in patrimonio crucifixi, non caret vitio personarum acceptionis, quam Augustinus dicit in ecclesiasticis gradibus dispensandis, exponens illud quod habetur Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi. Hieronymus etiam dicit, & habetur 8. q. 1. Extraneus ex alia tribu Moyses eligitur, ut signaret principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ, ac nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio facere, ut non quarant eos in ecclesia columnas eligere, quos plus cognoscant ecclesie prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs delinunt.

QUESTIO XI.

DEINDE quaeritur est de actibus, qui possunt ad omnes homines pertinere.

¶ Et primo. De actibus pertinentibus ad vim intellectuum.

¶ Secundo, De actibus pertinentibus ad vim appetitivam.

¶ Circa primum quaerita sunt tria.

¶ Primo. Vtrum possit aliquis sine peccato appetere scire scientias magicas.

¶ Secundo, Vtrum enuntiabile quod semel est verum, semper sit verum.

¶ Tertio, Vtrum Magister determinando quaestiones theologicas, magis debeat uti ratione, vel auctoritate.

ARTICVLVS XVI.

Virum homo sine peccato possit appetere scire scientias magicas.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod homo sine peccato possit appetere scire scientias magicas. Non enim est peccatum appetere illud, per quod ponitur intellectus hominis in optimo: sed per quamlibet scientiam ponitur intellectus hominis in optimo, quia verum est bonum intellectus, ut dicitur in 6. Ethicorum. Scientia autem verum est, ergo hoc potest licite appetere, scire quamcumque scientiam, & ita sine peccato potest homo appetere scire scientias magicas.

SED CONTRA. Prohibitio non est nisi de illicito: sed scientiæ magicæ sunt prohibita: ergo illicitum est appetere eas scire.

RESPON. Dicendum, quod actus humanus potest dici dupliciter. Vno modo ex genere: alio modo ex circumstantia. Ex genere quidem esse actus bonus ex eo quod actus cadit supra debitam materiam, debita autem